5151

TENTAMEN MEDICUM

DE

HŒMOPHTHISI,

Quod, Deo duce & auſpice Dei-parâ, pro Baccalaureatûs gradu conſequendo, in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi tueri conabitur Auctor JOSEPHUS BOURROUILLA, ex urbe Dax apud Aquitanos, Toloſanæ Univerſitatis Liberalium Artium Magiſter, nec-non in almâ Univerſitate Monſpelienſi jam-dudùm Medicinæ Alumnus. Pro trimeſtri Januarii anni 1791.

LA NATION,
LA LOI,
LE ROI.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Universitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI.

OPTIMO PATRI SUO

TENERRIMÆQUE MATRI

IN ÆTERNUM VENERANDIS;

Prima hæc Artis medicæ tentamina in innumerorum in ſe à teneris annis beneficiorum, amoriſque infiniti & perpetuæ gratitudinis monumentum

Dicat, vovet, conſecrat

Obſequentiſſimus
gratiſſimuſque filius
J. Bourrouilla.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

LEGI NATIONI ET REGI.

TENTAMEN MEDICUM

DE

HŒMOPHTHISI.

Hœmophtoes, juxtà *Cullen*, eſt morbus ille in quo poſt affectionem quamdam pectoris rejicitur per os cum tnſſi, ſanguis parùm ſpumoſus & plerumque floridus.

Dividemus hœmophtoëm cum *Morton*, in accidentalem & habitualem. Accidentalis ea eſt quæ à causâ externâ provenit, v. g. ictu, vulnere, &c. Habitualis ea quæ à malâ & fermenteſcente ſanguinis diatheſi dependet, ita ut intùs ſemper adſit fomes morbi. Alias ſubdiviſiones prætermittere nobis liceat ut de cauſis quæ noſtras diviſiones ſpectant aliquid dicamus.

A plurimis cauſis procreari poteſt ille morbus, uti à vulnere quodam, ictu, vociferatione nimiâ, exercitio, vehementi tuſſi, ab hæmorrhagiæ ſolitæ ſuppreſſione, à lapidibus cretaceis in ipſis pulmonibus generatis, à menſtruis ſuppreſſis, ab animi pathematibus, venenis, exhalationibus corroſivis, ab aëre calidiori, frigore vehementi & ſubito, ab acritudine in humoribus vel abundantiâ. Ab illis omnibus vaſa pulmonum facilè rumpi

poſſunt, ea enim vaſa numeroſiſſima ſunt, in exitu cordis ampla ſubdividuntur in minima, iſta verò diſſeminantur propè ſuperficies internas cavitatum bronchialium & membranâ tenui cooperiuntur, unde videre eſt quomodò toties nimis impleantur, & conſequenter cur ictus nimis vehemens qualiſcumque corpori impreſſus ſæpe hœmophtoëm procreat.

In omni ætate contingere poteſt ille morbus, ſed plerumque ab anno tantùm vigeſimo uſque ad trigeſimum quintum corripiuntur juvenes, præterea homines temperamenti colerici & ſanguinei, ſtaturæ proceræ, habitûs gracilioris, & collum oblongum habentes; illi etiam qui cum magnâ contentione vocis cantare vel loqui debent, illi qui ab infantiâ ſæpe narium hæmorrhagiis aſſueti, deindè evanuerunt: ſupervenit etiam hœmophtoës, cum pulmonum inter & thoracis capacitatem adeſt defectus proportionis. Illis omnibus cauſis addendus eſt cum *Sydenham* color externus qui vere & initio æſtatis hœmophtoëm procreat, cùm ille color ſanguinem plùs rareſit quàm ſolida frigore hiberno coarcta relaxat.

Sat difficile eſt dignoſcere ubi ſanguis per os rejicitur, è quâ parte internâ proveniat, ſive ab interiori ſuperficie ipſiuſmet oris, gurgulionis, aut cavitatum vicinarum narium, ventriculi aut pulmonum. Illud tamen apprimè diſtinguere neceſſe eſt, cùm alia ſit prognoſis inſtituenda, & alia requiratur medela ubi ſanguis ſpuitur prodiens ſive ex ore, ſive ex naribus, ſivè è ventriculo quàm ſi veniat ex pulmone. Ut hæc diſtinguantur, ad iſta attendendum: ſanguis ex ore prodiens ſimplici ſpuitione rejicitur, è gulâ, è ventriculo vomitione, ex faucibus & gurgulione excreatu, ex partibus ſpiritalibus tuſſi. Hæc omnia explicatione indigent. 1°. Sanguis proveniens ex ore, è faucibus & gurgulione facilè dignoſcitur à pulmonali, rejicitur enim ſine tuſſi, adeſt aliunde ſenſus gravitatis & doloris in parte. 2°. Sanguis prodiens è ventriculo ſæpe dubitandi locum dare poteſt an è pulmonibus aut è ventriculo proveniat, aliquoties enim tuſſis & vomitus ſeſe offerunt, ſed conſiderari debetur quod ubi è ventriculo prodit ſanguis in majori profluit quantitate, aliunde nigricantior, & alimentis ſæpe commixtus, quàm cùm venit è pulmonibus. Ut vere diſtinguatur hœmophtoës ab illis rejectionibus, nobis dicere ſufficiat quod in hœmopthiſi antequàm ſanguis appareat, irritatur pars ſuperior laryngis, ut moderetur hæc irritatio, magnos facit conatus æger ad ſpuendum, illi conatus parùm ſpumoſum & coloris floridi ſanguinem poſt ſe trahunt; irritatio denuò perſentitur,

exit ſicut anteà major quantitas ſanguinis quæ producit in trachæâ arteriâ ſtrepitum ſimilem ac aër tranſeundo per fluidum ; adeſt aliunde ſenſus gravitatis & anxietatis in pectore, difficultas reſpirandi, dolor in cavitate aut in aliâ thoracis parte, dolor ſub ſterno.

Omnium hæmorrhagiarum periculoſior eſt illa quæ fit à pulmonibus, licet obſervatione conſtet multos morbos ſolviſſe, nam, ut dicit *Riverius*, apertio omnium vaſorum pulmonum periculoſa ; maxime ſontica præcipue eſt illa quæ à fermenteſcente ſanguinis diatheſi, & ab aperientis vaſa acrimoniâ dependet ; iſta enim febrem unà cum accelerato pulſu & urinâ ſubrubrâ ſemper conjunctam habet & poſt incerta intervalla identidem ſolet recurrere ; ubi ſcilicet paroxyſmus febrilis incertus à ſanguinis adeò ferociter efferveſcentis impetu recrudeſcit, tenera pulmonum vaſa cùm motum hunc citatiorem ferre non poſſint, iterùm atque iterùm dehiſcere ſolent, unà cum magno purpurei liquoris diſpendio, qui ut plurimùm fluere non deſinit, uſquedùm orgaſmus febrilis & motus ſanguinis fermenteſcentis inde dependens, vel artis ope vel ſponte ſuâ ſaltem à quantitate liquoris imminutâ ceſſet. Et tunc etiam infidæ tantùm induciæ dantur, donec vaſa iterùm à præternaturali ſanguinis motu in paroxyſmo ſubſequenti nimis diſtendi contingat. Et quidem hæc eſt fatalis illa hœmophtoës quæ ut difficilem curationem admittit atque ægro ſæpiùs inexpectato ſupervenit, ita primùm febrem putridam, dein hecticam conjunctam habet quæ in phthiſim fatalem atque incurabilem terminari ſolet.

CURATIO.

In hœmophtoë curatione præſcribenda ſunt 1°. remedia antiphlogiſtica ; igitur vitare debet æger non tantùm calorem cujus effectus congeſtiones producunt, ſed etiam motum partium affectarum, non loqui neque venerem appellare, attendere ad poſitionem corporis, & eligere eam quæ longe à parte affectâ ſanguinem efferri determinat. 2°. Venæ-ſectio ſæpe admodùm utilis, aït enim *Riverius*, perficitur hœmophtoë curatio revellendo ſanguinem à pulmone. Toties igitur venæ-ſectio iterari debetur quoties pulſus erectus & plenus eſt, quoties çalor & difficultas in reſpiratione adaugentur. 3°. Adſtringentia optimè conveniunt in hœmophthiſi externe vel interne, illis addere optimum eſt refrigerantia, ſicuti acidum vitriolicum, ſuccus

limonum, oxicratum. Inter adſtringentia quæ maxime conducunt, biſtorta tormentilla, ſimphitum majus, ſuccus urticæ, alumen rupeum, ſanguis draconis, terra ſigillata, &c. Permultum laudatur kinakina, præcipuè ſi ab atoniâ pendeat morbus.

Super pectus applicetur veſicatorium ſi ſanguis ſit inflammatorius, & remedia temperantia cum camphro permiſceantur. Salia neutra debent adminiſtrari præcipue ſi ab acrimoniâ biliosâ fiant congeſtiones in pectore; & ubi in turgeſcentiâ eſt ſaburra, emeticum maxime convenit, ſed paulò ante exacerbationem febris præſcribitur, aliter denuò appareret hœmphtoës. Si poſt puris ſputum adſit ſemper tuſſis, metuenda eſt ſuppuratio, ut præveniatur, mutentur in cauteria ulcera à veſicatoriis producta, victu fortiori non utatur æger, & aquam ſeltinam cum lacte & melle commixtam bibat.

Plura alia numerantur auxilia, ſicuti frictiones & ligaturæ extremitatibus, quæ retinendo ſanguinem, vim cordis minuunt, & conſolidationi vaſorum favent, aqua frigida, oxicratum teſtibus admotum, nitrum parcâ doſi, hirudines, ſi aliquibus conſuetis evacuationibus non reſtitutis ſuccedat hœmophtoës.

Noxia ſunt hœmophthicis ea omnia quæ citatiorem reſpirationem excitant. item aër calidior, animi pathemata, ſomnus nimis longus, alimenta acriora vel cum oleo præparata; igitur vegetabilia eis apprime conveniunt, lac, fructus bene maturati, cremores, panis rite fermentatus, hæc enim tuſſim moderando ſæpe hœmophthiſim enaſcentem debellant.

FINIS.